

Letter 92: 23 April 1521, Mainz, Hartmann von Hallwyl to Capito

This letter is printed in Herrmann, pp. 211-212.

Hartmannus Halvilerus Wolphango Capitoni s.d.

5 Laudo tuam magnanimitatem, clarissime Capito, qui nihil mali conscius tibi sis quique nihil mali meritus es de republica christiana. Hic murus aheneus est: *nil conscire sibi, nulla pallescere culpa*. Nunc demum intelligo consilium tuum prudentissimum, quod nulli factioni vis te immiscere, praesertim cum utrinque peccatum sit; invidiam nunquam effugies, quod nulli etiam mortalium concessum est, nam quemadmodum umbra, sic et invidia sequitur homines, et praesertim illos, qui ad laudem aspirant. Id proximum est, ut aequo animo feras; negotiis sic es implicatus, ut non facile possis te hinc extricare. Nam quemadmodum is, qui animi causa navim ingreditur, ut spectet aut in ea inambulet, deinde repente soluta atque in altum revulsa nauseans et vomens frustra fores prospectat, sic tu leviter et quasi lusus gratia res principum attigisti, nunc negotiorum undis invitus etiam traheris. Sed ne hoc te discruciat, mi Capito, cum quod mutari non possit, aequo animo ferendum est. Ita vita est hominum quasi cum ludas tesseris: si illud, quod est maxime opus, iactu non cadit, id quod cecidit forte, *id arte ut corrigas*.¹

15 Si res Lutheri spectat ad tumultum, quis bonus ac vere christianus foveret partes eius, cum Christus ipse nihil magis suis inculcet quam pacem et caritatem erga proximum. Quin et Christus, si domum aliquam ingrederetur, quasi felici omine salutabat: pax huic domui. Quid mali etiam, si Lutherus nonnihil de suo iure concedat atque rationem habeat publicae tranquillitatis? In hoc mihi parum prudenter agere videtur, qui hoc pacto, quo res incepta est, procedere cupiat, cum potius prudentis sit, summas et egregias res eniti; sic enim futurum ut ad mediocritatem perveniat. Summum animo destinandum ut saltem modicis potiamur. Fit enim plerumque, nescio quo modo, ut exitus citra spem et scopum praestitutum consistant. Bene et fideliter mones, ut iuxta ponam nomina factionum Papistarum et Lutheranorum, quod diligentissime curabo. Malo esse spectator quam actor comoediae, vel potius tragoediae.

25 Salutat te Caspar Hedio, cui heri induciae cum febris fuerunt, ut etiam nobiscum in aedibus D. Eberbachii cenaret. Hodie rursus bellum. Quando restituatur pristinae valetudini nescitur; bene tamen speramus.

Vale, optime praeceptor. Quod si tibi minus integrum est ut rescribas, fac Jacobus respondeat, ut sciam in quo statu res vestrae sint, quem optime valere cupio. Iterum vale.

Moguntiae 23. die Aprilis, anno 21.

30 Excusabo te, quam modestissime possum; si vero convicia in te iacerentur, hoc nequaquam ferrem. Iubet enim hoc me pietas erga praeceptorem.

¹ Corr. arce in Herrmann.